

versa aut ex parte convenire, ut unum adeo de altero affirmare
fas sit. Ubi vero uni extremorum repugnat assumptum medi-
um, (utriusque enim si repugnat, medii nomen ne habere qui-
dem potest,) legitime quoque ab invicem sejungi extrema,
h. e. unum de altero negari posse, simul clarum est.

§. 9. Triplicis vero generis principia illa constituere
possumus. Quibusdam nempe utimur pro inveniendis ipso
medio, quo elegans illa Aristotelis regula pertinet, (cujus pa-
rem in hoc Axiomatum genere vulgaris Logica non habet,)
quod omne medium se ad extremum aut ut antecedens aut ut
consequens habere debeat, aut ut repugnans. Nescio an non
ejusmodi principia, propter distinctionem à reliquis, efficientia
vocare liceat. Reliqua enim vel Formalia sunt vel Materia-
lia. Illa medio invento cum extremis componendo viam
monstrant & limites ponunt, adeoque argumentorum Figuris
Modisque construendis ac dijudicandis inserviunt. Hæc ve-
ro ad materiam argumentorum pertinent, pro infinita adeo
terminorum varietate, infinite varia; qualia sunt principia
Topica, Physica, Metaphysica, Ethica & id genus alia; vid.
B. Mus. de Usu Princ. Rat. L. 1. c. 6. & 18. it. L. 2. c. 2.

§. 10. Hisce ita definitis jam propius ad quæstionem
nostram accedimus, quærimusque: An in Articulis Fidei
strictè dictis, ex ratione hominis regeniti petita argumenta,
quoad principia materialia & Efficientia admitti possint? Quo-
ad formalia enim principia illud fieri posse, citra dubium est.
Circa Articulos Fidei vero in laxiori significato sumtos, etiam si
caute etiam hac in re procedendum, hujus tamen loci quæstio-
nem, prolixitatis evitandæ gratia, eo extendere nolumus.
Vid. omninò *B. Höpfn. Loc. Theolog. 1. pag. 17. & 27.*

§. 11. Argumentando vero in Articulis Fidei, tria
potissimum intendere possumus, vel Confirmationem, vel Con-
futationem vel Explicationem. De Confirmatione ac Confu-
tatione constat. De explicatione notandum est, quod ad Con-
firmationem habeat se vel Antecedenter, vel Consequenter.
Antecedenter, si ad Confirmationis speciem eum in finem sit
composita, ut animi convertendi eo melius Articulis fide co-
gno-

gno-